



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies duodecimus, decimus tertius et decimus quartus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1868

Sanctissimo D. N. D. Pio VI Pontifici Optimo Maximo

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71232)

SANCTISSIMO

D. N. D.

PIO VI

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

Si merito mos pervulgatus obtinuit, BEATISSIME PATER, ut eorum, qui aut armis, aut re, aut consilio rem publicam belli domique luculentius promoverunt, res fortiter ac prospere gestas omnium gentium linguæ loquantur; æquum enimvero fuit, ut et Christianorum Heroum, qui sive fuso pro Christo sanguine, sive præclaris vitæ morumque institutis Reipublicæ Christianæ insigniter profuere, salutemque æternam præ peritura hujus mundi gloria suis exemplis sectari posteros docuere, res gestas Christianorum ora calamique meritis efferrent laudibus ac sempiternæ posterorum memoriæ consecrarent. Præstitum id quidem inde a nascentis ecclesiæ incunabilis fuit; sed heu! Quot antiqua Christianorum Heroum, Sanctorum dico, monumenta seu temporum vetustate seu iniquitate periisse posteritas doluit! Fuerunt, qui obviam malo ire voluerint; sed consilio certe minus prudenti falsa veris miscuerunt: error is quidem privatorum fuit, sed Catholicis

identidem ab Heterodoxis objectus. Itaque si quid in illis falsi occurreret, secer-
nendum a vero ; si quid dubii, revocandum ad trutinam ; si quid obscuri, illu-
strandum fuit, quo ea legerent Catholici tutius, Heterodoxi autem carperent par-
cius. Bollandiano Operi hic scopus erat, quod a seculo sesquialtero inchoatum, ac
ad nostram usque memoriam labore summo continuatum haud ita pridem tempo-
ris vicissitudo interrupit. Doluimus præclari Operis sortem, ac e Reipublicæ Chri-
stianæ bono fore existimavimus, si ad umbilicum labore nostro adduceretur : uti-
nam præfixum nobis scopum attingamus ! Primum hunc interim, SANCTISSIME
PATER, vigiliarum nostrarum nuperorumque Hagiographorum fœtum, quartum
supra quinquagesimum vastissimi Operis tomum, superatis, quæ illi injectæ fue-
runt, remoris bene multis, ad sacratissimos Pedes Tuos tandem omni, qua par est,
animi demissi significatione ac veneratione eo deferimus lubentius, quo certius,
etsi non pro suo quidem merito, sed pro innata Tibi, qua quantumvis exigua
suscipere peramanter soles, humanitate animique magnitudine susceptum iri con-
fidimus, hac tempestate præsertim, qua tot libellos in fidei morumque perniciem
cucos orbem Christianum pervagari boni omnes, ac SANCTITAS TUA vel maxime,
vident et ingemiscunt. Veremur sane, ne temerarii audiamus, ut qui stadium hoc
litterarium vix ingressi, ab ipso statim limine labores nostros, quasi Majestate Apo-
stolica dignos, Sanctissimo Nomini tuo inscribere ausi simus. Absit, ut obtutu Tuo
dignum quidpiam aut præstitisse, aut præstando esse nos arbitremur ; at cui po-
tius labores nostros consecremus, quam Tibi, fidelium Ecclesiæ Capiti, cui cum
hos una cum Sanctorum Actis dedicamus, Christo Domino, cujus in terris vices ge-
ris, ac totius Sanctitatis creatæ fonti dedicamus ? Cui potius, quam Tibi, cujus est,
heroicas Servorum Dei virtutes meritaque justa lance expendere, partam abs illis in
cœlis gloriam orbi Christiano declarare congruumque iis cultum præscribere ?
Cujus in Sanctos studium venerationemque testantur cum eorum plures Cœlitum
Fastis jam Tuis inscripti oraculis, tum ecclesiæ, Deo Sanctisque dicatæ, passim per
Italiam piissima munificentia tua vel magnificentius instauratæ vel donis amplissi-
mis locupletatæ ? Quam Tibi denique, cujus ea in Ordinem nostrum benevolentia
ac animi propensio fuit, ut protectore Romano privati patrociniū in Teipsum re-
cipere ultro vuleris ? Cujus magnitudinem beneficii ex animis nostris dies nulla
delebit. Adhæc, quo quidem sponte nostra properabamus, vehementer etiam Am-
plissimi dignissimique Abbatis nostri GODEFRIDI HERMANNI æquissima voluntas et
auctoritas impulit, quem veluti alterum Bollandiani Operis parentem veneramur
atque suspicimus. Cum enim ejus continuandi spem omnem nuperis Hagiographis
ademptam videret, de Republica Christiana bene merendi incensus studio, ingen-
tem, qua usi fuerant librorum cum typis editorum, tum manuscriptorum copiam,
continuando per suos Operi, ære numerato coemit, Tongerloam una cum omni
preli suppellectile transtulit, nova ornataque bibliotheca condidit, hanc proxime
Opus

Opus continuaturis suum cuique Musæum assignavit, aliaque, quæ ad promovendum Opus facere videbuntur, prono lubentique animo est præstiturus; hanc vero occasionem nactus, suam erga Te Sedemque Apostolicam devotionem studiumque universo orbi testatum, nec alteri, quam Tibi Opus hoc dedicatum voluit, cuius proinde æquissimæ voluntati non parere fas nobis haudquaquam fuit. Æqui igitur bonique, uti confidimus, SANCTISSIME PATER, consules, si cum ipsius, tum nostro nomine Pedibus Tuis humillime advoluti vigiliarum nostrarum qualescumque primitias in perennem animi nostri, Tibi Sedique Apostolicæ devotissimi, tesseram consecremus; quas si placido benignoque, quo cetera soles, animo vultuque exceperis, Tu quidem immensum nobis ad bene merendum de re Christiana calcar addideris; nos vero Deum ter Optimum Maximum precari obtestarique impense non desinemus, ut Republicæ Christianæ saluti, bonorumque votis salvus diu sospesque permanear, pacatiora tempora ac Pontificatum Tuum bonis omnibus celitus cumulatam videas, et e militantis Ecclesiæ solio ad triumphantis societatem evocatus Ecclesiastici illud sero usurpes: « In plenitudine Sanctorum detentio mea. »

BEATISSIME PATER,

SANCTITATI TUÆ

DEVINCTISSIMI SERVI :

JACOBUS BUEUS, presb.

SIARDUS DYCKIUS,

CYPRIANUS GOORIUS,

MATHIAS STALSIUS,

Ord. Præm.

Cann. Regull.